

---

ERVDITO LECTORI  
SALVTEM.

---

Quas in hunc habitum formatas vi-  
des, Aesopeas fabulas, senariis ver-  
sibus Latinis a PHAEDRO expositas,  
noua editione vulgandi praecipua mihi  
causa fuit, quod eas Graecis Aesopi  
*μυθαις*, qui, a me recensiti et emendati,  
propediem ex hac eadem officina prodii-  
bunt, comites dari voluerunt, quorum  
consilio mihi vtendum duxi. Eorum  
voluntati cur obsecutus fuerim, et in

tanta exemplarium copia nouam editionem non utique superuacaneam crediderim, non admodum mirabuntur, qui quantum hodie ab illo mutatus sit Phaedrus, qui a nobis pueris legebatur considerabunt. Constat enim, nouissima demum summorum virorum, Bentleii et Burmanni maxime, cura ita eum repurgatum ac sui dissimilem factum, ut ipsum prope prioris sui habitus poeniteat. Ea vero exemplaria, quae in nostris quidem scholis teruntur, a Burmannianis omnia discrepant plurimum, pleraque adeo negligenter sunt curata, ut e manibus discipulorum excutienda potius videantur. Ne itaque, inuentis frugibus, glande vescendum sit disciplinae nostrae alumnis,

quos



quos fortuna sua parabilibus libris contentos esse iubet, talem illis exhibeo Phaedrum, qualem eum a doctissimis huius aetatis hominibus accepimus, et Germanicis typis exscriptum nondum vidimus. Optima enim fide Burmanniana exemplaria expressi, quae Lugduni Bataavorum a. CIIOCCXXVII. vulgata sunt, omnemque lectionis varietatem, in scriptis editisque libris obseruatam, adieci, nec doctorum virorum coniecturas praeterii, earumque rationes, quantum per breuitatis studium licuit, exposui. Si quando a Burmanniana scriptura recedendum mihi putavi, quod tamen rarius factum memini: nunquam id tacitum praetermisi, atque adeo, quid ille praeferrat,

neminem ignorare fui. Scio equidem, multorum concessu haec pleraque abesse potuisse: mihi vero in edendis veteribus scriptoribus religioni est, vnius tantum iudicio probatam lectionem recipere, ceteras omnes damnare et obliterare; cum saepius experiar, ea, quae sint optima et verissima, pluribus, et eruditissimis etiam, suspecta esse. Ausus quoque sum sperare, qualemcunque hanc oppellam meam non pueris tantum impensam fore; sed et iuuenibus, iudicandi facultate non destitutis, ipsisque fortasse scholarum magistris profuturam, qui Belgicis copiis non satis instructi ad hunc poëtam aliis praelegendum accedent. Hi facile mihi ignoscent, quod, quae lectorem morari  
pos-



possunt, a me raro explicata inuenient,  
 et, ni fallor, recte factum dicent, quod,  
 quae ipsorum partes sunt, mihi vindicare  
 nolui. Neque enim ignorabunt, citius  
 in scholis proficere pueros, qui ex prae-  
 ceptorum ore pendent, quam qui ex  
 vulgatis tantum commentariis, quae per  
 se non possunt, intelligere volunt. Hanc  
 ob causam toto hoc adnotationum gene-  
 re abstinuiffem, quod in soluendis au-  
 ctoris notis versatur, in quibus multum  
 iam fuerunt alii: nisi ex Burmannianis  
 quaedam excerpenda ratus essem, quae  
 non omnibus nota, aut a vulgatis dis-  
 crepantia reperi. Atque haec ipsius  
 plerumque verbis transfuli, ne commu-  
 tatis iis mea facere viderer, quae sunt

alterius. Quae suspicio ne in me cadat,  
vltro etiam profiteor, nihil in hoc libello  
meum esse, nisi quae, a celeberrimo Bur-  
manno aliquoties dissentiens, scripsi:  
cetera omnia huic et aliis, quorum cla-  
rissima nomina suis locis non tacui, ac-  
cepta gratus refero. Illa si tibi, docte  
lector, non displicebunt, non mihi, sed  
auctoribus gratias ages: mihi vero, si  
quid erratum erit, quod in addendis  
non ipse correxerim, pro tua aequitate,  
ignosces, atque ita optime valebis. Scripsi  
Hesnacii cal, Decemb. cl<sup>o</sup> CCXXXX.